

G V I N E A.

Regia.

GVINEAE Regnum eo tractu est, quo *Gangines* *Aethiopes*, de quibus apud *Orosium* & *Aethicum*, esse *Ortelio*. Incolis *Ghinni* dicitur. Regio *Nigritarum* est. *Nigrita* dicuntur adcolæ fluminis *Nigri*, qui mediam regionem præterfluit *Nili* instar agros vicinos fœcundans. Crescit hic, ut & *Nilus* mense *Iunio*, totos dies *XL*, quibus per regionem vicinam navigare licet. Ita limo obducta tellus miro proventu rerum luxuriat. Circa flumen planities amplæ, nulli Montes aut Colles. Silvæ frequentes, quibus *Elephantum* pascuntur. Crebri Lacus, qui ex *Nigri* inundatione dicuntur remansisse. Aer saluberrimus, adeo ut morbo *Hispanico* laborantes, si in eam regionem proficiscantur certo convalescant. Sermo *Nigritis* varius, pro Cælo & Solo. Religio varia: Sunt in *Mediterraneis* *Christiani*, *Mahumetistæ*, *Gentiles*. *Maritimi* vero omnes *Idola* colunt. Reges *Nigritarum* sunt tres. *Tombuti*, *Borni*, & *Gaoga*. *Gualata* etiam proprium Regem habent. Color omnibus nigerrimus. Ceterum *Guinea* Regnum inter *Gualatam*, *tembutum*, & *Melli* situm est, a *Nigro* flumine ad *Oceanum* usq; *Aethiopicum*. Aer *Guinea* nostris corporibus noxius est, tum ob Cæli intemperiem, tum propter pluvias, quæ putredinem pariunt & *Vermes*. Est autem *Hordeo*, *Oryza*, *Gossypio*, *Auro*. *Ebore*: *Ovibus* item & *Gallinis* abundans. Est & *Aromatis* quoddam genus, sapore *piperi* conforme, *Lusitanis* *melegnetæ* dictum. Aliud item duplo efficacius *Pipere* *Calicutiano*, vocaturq; dictis *Lusitanis* *Pimienta del Rabo*, quod tamen vendere non licet, ne vulgare *Piper* profus sordeat & vilescat. Fructus alios præter *Dactylos* nullos habet, sed eos ex *Numidia* aut *Gualata* *Incolæ* petunt. *Quadrupedum* imprimis *Elephantorum* & *Simiarum*, *Aviumq;* ingentem habent copiam, præsertim vero *Pavonum* & *Psittacorum* cinericiorū. Habent & minutas quasdam *Aves* quæ ex arborum ramis pendulū sibi ipsæ nidum singulari arte construunt. *Arcem*, *Opidum*, *Urbem*, non habent. *Pagū* unum duntaxat amplissimum, quem *Principes*, *Sacerdotes*, *Doctores*, *Mercatores*, incolunt: ceteri sparsim degunt. Circa *Caput Lupi Conzalvi* *Incolæ* *Solem*, *Lunam*, *Terram* adorant: hanc sputo inquinare magnū apud ipsos piaculum. *Cutem* sibi ipsi conscindunt potius quā scarificant, & postea unguento quodam colorato tingunt: bello ipsis, nobis stupendo spectaculo. *Salutant* *Principem* in genua prolapsi, manibus complofis: alijs inclamant *Fuio, Fuio, Fuio*. Inter prandendum potu abstinent, pransi bibunt vel *Aquā* vel *Vinum* è *Palma*. *Palma* hæc non eā quæ *Dactylos* seu *Carvotas* fert, sed ab hac arbore diversa, quovis anni tempore succum emittens. *Arboris* truncum sauciant, *lachrymam* inde manantem vase aliquo exceptam ad ebrietatem usq; hauriunt: quippe cum liquor is sit *Vino* quovis etiam generoso meracior. Color ei subcinericius, *Mignolum* vocant. Nec major est proventus arbori, quam *binæ* ternæve mensuræ intra diem naturalem; Fert ea

Situs.

Cæli temperies.

Soli fertilitas.

Animalium varietas.

Mores.

Victus.